



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 72. Hussus ab Imperatore ad retractandum monitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

se quidem ab ipsius sententia Romam ap- Sæcul. XV.  
A. C. 1415.  
pellasse, cum tamen ibi jus sibi dici de-  
speraret, se ad ipsum Christum Domi-  
num provocasse. Fassus est, se ante ali-  
quot annos tradidisse, Joannem Wicle-  
fum æternam consecutum esse gloriam,  
seque exoptare, ut sua quoque anima  
eandem cum illo mansionem in cælis ha-  
beret; negavit tamen, se ad capeſſenda  
arma concitasse populum, aut tumultus  
in regno Bohemiæ exortos incendisse,  
multo minus sua ex culpa Nationem Ger-  
manam a Pragensi Universitate abscessiſ-  
ſe. Ad hoc Stephanus Paletz repone-  
bat, a Joanne Husso, ejusque Sectato-  
ribus non modo alienigenas, sed ipſos  
quoque indigenas Bohemia exire coa-  
ctos, eorumque quamplurimos in Mora-  
viam relegatos fuisse. Regeffit Hussus,  
non vera narrari, eoquod ipſe tunc tem-  
poris, quando iſti abierant, Pragam non  
incoluſſet. Ita finem habuit confeſſus,  
& Joannes Hussus Archiepiscopo Rigensi  
iterum traditus fuit, qui utpote S. R. Ec-  
clesiæ Sigillifer Hieronymum quoque Pra-  
gensem captivum tenebat.

### §. LXXII.

*Hussus ab Imperatore ad retrahan-  
dum monitus.*

Præterea Cameracensis Cardinalis, pri-  
F 3 us-

Sæcul. XV. usquam discederet, Husso objecit,  
A.C. 1415. ipsum dixisse, quod nisi sua sponte ad  
Synodum venire statuisset, nec Regis Bo-  
hemi, imo nec ipsius quoque Imperatoris  
auctoritate compelli potuisset; Non ab-  
nuit dicta Joannes, ejusque confessio-  
nem Joannes Clumæus intrepide confir-  
mavit. Itaque Cardinalis Cameracensis  
Husso auctor fuit, ut amore propriæ suæ  
salutis, atque honoris sese Concilii sen-  
tentiae submitteret, prout ipius in car-  
cere spoondisset. Cumque Imperator  
salutaribus hisce Cardinalis hortationi-  
bus sua quoque junxit monita, Joan-  
nes Hussus jam in eo erat, ut Cæsari re-  
sponderet, ac pro ejus benevolentia gra-  
tias rependeret, sed Joannes Clumæus  
illum interrupit, monendo, ut ante om-  
nia pertinaciæ crimen, quod Imperator  
in suo alloquio mox ei objecisset, dilue-  
ret; quapropter Hussus contestatus est,  
se quam maxime alienum esse, ut quic-  
quam cum pertinacia tueretur, se enim  
libera voluntate Synodum accessisse, haud  
alio animo, quam ut meliora edocitus,  
quæ hucusque tradidisset, retractaret.  
Hisce congressibus finitis, a justitiæ Mi-  
nistris in custodiam reductus fuit.

§. LXXIII.